

mus ego, semper æger caloribus impatientiæ, quam non optineo patientiæ sanitatem, & suspirem & inuocem & perorem necesse est, cum recordor, & in meæ imbecillitatis contemplatione digero, bonam fidei ualetudinem, & dominicæ disciplinæ sanitatem, non facile cuiquam, nisi patientia adsi- deat, prouenire. Ita proposita dei rebus est, ut nullum præceptū obire quis, nullum opus domino complacitū perpetrare extraneus à patientia possit, Bonum eius etiam qui cæca uiuunt summæ uirtutis appellatione honorat. Philosophi quidem qui alicuius sapientiæ animalia deputantur, tantū illi subsignant, ut cum inter sese uarijs sectarum libidinibus & sententiarum æmulationibus discordent, solius tamen patientiæ in commune memores huic uni studiorum suorum commiserint pacem. In eam cōspirant, in eam fœderantur, illam in adfectatione uirtutis unanimiter student, omnem sa- pientiæ ostentationem de patientia præferunt. Grande testimonium eius est, cū etiam uanas seculi disciplinas, ad laudem & gloriam promouet. Aut nunquid potius iniuria, cum diuina res in secularibus artibus uoluitur? Sed uiderint illi quos mox sapientiæ suæ cum seculo destructæ ac dedecora- tæ pudebit. Nobis exercendæ patientiæ autoritatem, non adfectatio hu- mana caninæ æquanimitatis stupore formata, sed uiuæ ac cœlestis disci- plinæ diuina dispositio † diligat, deum ipsum ostendens patientiæ exem- plum. Iam primum qui florem lucis huius super iustos & iniustos æqua- liter spargit, qui temporum officia, elementorum seruitia, totius genituræ tributa dignis simul & indignis patiatur occurrere, sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium & opera manuum suarum adorantes, † nomen familiam ipsius persequentes, luxuriam, auaritiam, iniquitatem, maligni- tatem cottidie insolescentem, ut sua sibi patientia detrahat: plures enim do- minum idcirco non credunt, quia seculo iratū tam diu nesciunt. Et hæc qui- dem diuinæ patientiæ species, quasi de longinquo, fors ut de supernis, æsti- metur. Quid illa autem quæ inter homines palàm in terris quodammodo manu apprehensa est. Nasci se deus in utero patitur matris, & expectat, na- tus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed cōtumeliosus insu- per sibi est, & à seruo suo tingitur, & tentatoris congressus solis uerbis repel- lit cum de domino fit magister, docens hominem euadere mortem, abso- lute scilicet ueniam offensæ patientiæ eruditus, non contendit, non recla- mauit, nec quisquam in plateis uocem eius audiuit. Arundinem quassa- tam non fregit, linum fumigans non restinxit, nec enim mentitus fuerat propheta, imò ipsius dei contestatio, spiritum suum in filio cum tota pati- entia collocantis. Nullum uolentem sibi adherere non suscepit: nullius mē- sam tectumue despexit. Atqui ipse lauandis discipulorum pedibus mini- strauit. Non peccatores, non publicanos aspernatus est. Non illi saltim ciui- tati quæ eum recipere noluerat iratus est, cum etiam discipuli tam contume- lioso oppido cœlestes ignes representari uoluissent. Ingratos curauit insi- diatoribus

Philosophos ha-  
buit exopto

†  
als dirigat.

†  
In Hirsaugie  
si codice qui-  
dā hūc locum  
sic emēdarat  
nomē cū fami-  
lia fortassis le-  
gendū, oēm fa-  
miliā, uel no-  
mē ac familiā